



BOLETÍN DEL CLERO
DEL
OBISPADO DE LEON

Sanctissimi domini nostri Leonis divina providentia
PAPAE XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

DE DISCIPLINA ORIENTALIVM CONSERVANDA
ET TVENDA

—
LEO EPISCOPVS

servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam.

Orientalium dignitas Ecclesiarum, pervetustis rerum monumentis eisque insignibus commendata, magnam habet toto christiano orbe venerationem et gloriam. Apud illas enim, inita benignissimo Dei consilio humanae redemptionis primordia, celeriter ad ea properavere incrementa, ut laudes apostolatus et martyrii, doctrinae et sanctitatis primo honore floruerint, primam saluberrimorum fructuum laetitiam ediderint. Ex illis autem perampla beneficiorum vis in ceteros late populos mire profluxit; quum beatissimus Petrus, princeps apostolici ordinis, multiplicem erroris vitiique pravitatem disiecturus, lumen veritatis divinae, evangelium pacis, Christi libertatem in dominam gentium urbem caelesti numine intulit. — At Ecclesiis Orientalibus Romana potissimum, ecclesiarum omnium caput, sane quantum honoris et caritatis inde a memoria apostolica tribuere consuevit et quam fideli obsequio vicissim laetari: easdemque, per varia deinde atque acerba tempora, nequaquam

ipsa destitit, providentia et benefactis, a iacturis erigere, devinctas retinere, revocare discordes. Neque ultimum, illud fuit vigilantiae officium, ut proprias cuiusque orientalis gentis consuetudines sacrorumque rationes, quas pro potestate et sapientia sua legitimas edixisset, integras in eis perpetuo custodiret ac tueretur: cuius rei documento multa sunt quae Decessores Pontifices, cum primis Pius IX fel. rec., vel suis ipsi actis vel per sacrum Consilium christiano nomini propagando prudentissime censuerunt.—Non minore permoti Nos adductique studio, sub ipsa pontificatus initia, ad christianas Orientis nationes oculos peramanter convertimus. Maturavimus quidem conferre curas ad earum allevandas necessitates, aliasque sumus deinceps occasiones nacti actuosae benevolentiae testandae: sed nihil profecto antiquius sanctiusque fuit neque est, quam animis cum Sede Apostolica obstrictis, adeo in eis ardorem excitare et fecunditatem fidei, ut ad maiorum excellentiam et laudem exemplis renovatis nitantur.

Iam licuit aliquot adiumenta Ecclesiis illis afferre.—Collegium hac ipsa in Urbe clericis Armeniis et Maronitis instituentis, itemque Philippopoli et Hadrianopoli pro Bulgaris condidimus, Athenis Leonianum condendum decrevimus; etiam seminario sanctae Annae quod Hierosolymae, cleri Graeci Melchitae educendi causa coeptum est, maiorem in modum favemus. In eo praeterea sumus ut Syrorum numerum in alumnis Collegii Urbaniani augeamus; utque Athanasianum Graecorum ad pristinum restituamus institutum, quod Gregorius XIII, munificus auctor, sapienter voluit, unde viri extiterunt clarissimi. Plura vero in hoc similique genere experiri Nos atque efficere posse eo nunc vehementiore voluntate exoptamus, postquam, aspirante Deo consilium iamdiu meditatam perfecimus appellandi singulari epistola principes et populos universos ad felicem fidei divinae unitatem. Nempe inter christianas gentes calamitose divulsas, primo loco Orientales vocare, adhortari, obsecrare contendimus, quanta maxima potuimus apostolica et paterna caritate. Inchoatam spem quotidie magis foveri periucundum accidit Nobis, certumque est, opus tam salutare enixius insistere; ut, quidquid ex Apostolicae Sedis providentia expectari possit, admodum expleamus quum submovendis simultatis vel

suspicionis causis, tum optimis quibusque reconciliationis praesidiis admovendis.—Praestantissimum id esse existimamus, ad incolumitatem disciplinae Orientalium propriae, cui valde semper tribuimus, animum curasque adiacere. Qua in re iam Nos clericorum ephebeis earum gentium proxime conditis hanc etiam dedimus praescriptionem, dabimus eandem condendis, ut maxima religione ritus colant et observent suos, in eisque cognitionem usumque alumni capiant. Siquidem in rituum orientalium conservatione plus inest quam credi possit momenti. Augusta enim, qua varia ea rituum genera nobilitantur, antiquitas, et praeclaro est ornamento Ecclesiae omni, et fidei catholicae divinam unitatem affirmat. Inde enimvero, dum sua praecipuis Orientis Ecclesiis apostolica origo testatior constet, apparet simul et enitet earumdem cum Romana usque ab exordiis summa coniunctio. Neque aliud fortasse admirabilius est ad *catholicitatis* notam in Ecclesia Dei illustrandam, quam singulare quod ei praebent obsequium dispares caeremoniarum formae nobilesque vetustatis linguae, ex ipsa Apostolorum et Patrum consuetudine nobiliores; fere ad imitationem obsequii lectissimi quod Christo, divino Ecclesiae auctori, exhibitum est, nascenti, quum Magi ex variis Orientis plagis devecti *venerunt... adorare eum* (1).—Quod loco illud apte cadit animadvertisse, quod sacri ritus, tametsi per se instituti non sunt ad dogmatum catholicorum evincendam veritatem eadem tamen viva propemodum exprimunt splendideque, declarant. Quapropter vera Christi Ecclesia, sicut magnopere studet ea custodire inviolata quae, utpote divina immutabilia accepit, ita in usurpandis eorumdem formis nonnunquam concedit novi aliquit vel indulget, in iis praesertim quae cum venerabili antiquitate convenient. Hoc etiam modo et eius vitae nunquam senescentis proditur vis, et ipsa magnificentius Christi sponsa excellit, quam sanctorum Patrum sapientia veluti adumbratam in effato agnovit davidico: *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate... in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus* (2).

(1) Matth. II. 11.

(2) Ps. XLIV.

Quoniam igitur haec rei liturgicae disciplinaeque orientalis iure probata varietas, praeter ceteras laudes, in tantum decus utilitatemque Ecclesiae convertitur, eo non minus pertineant muneris Nostri partes oportet, recte ut sit consultum, ne quid incommodi imprudenter obrepit ab occidentalibus Evangelii administris, quos ad eas gentes Christi caritas urgeat.—Rata quidem permaneant quae in hoc Benedictus XIV. Decessor Noster illustris, sapienter provideque decrevit per Constitutionem *Demandatam*, in forma epistolae, die datam XXIV decembris anno MDCCXLIII, ad Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum omnesque eiusdem ritus Episcopos eidem Patriarchae subiectos. Verum, aetatis decursu non brevi, novatis per ea loca rerum conditionibus, atque latinis Missionariis Institutisque ibidem multiplicatis, factum est ut peculiare quaedam Apostolicae Sedis curae in eadem causa exposcentur: quod certe peropportunum fore, crebra per hosce annos occasione Nosmetipsi cognoramus, et desideria aequissima confirmaverant Venerabilium Fratrum in Oriente Patriarcharum, non semel ad Nos delata. Quo autem totius negotii apertius pateret summa, aptioresque providendi rationes definirentur, eosdem Patriarchas haud ita pridem in Urbem advocare placuit, quibuscum communicarem consilia. Tum eos una cum nonnullis Dilectis Filiis Nostri S. R. E. Cardinalibus, coram ad deliberandum frequenti congressione habuimus.—Iis autem rebus omnibus, quae communiter propositae et agitatae sunt meditate perpensis, induximus animum certa quaedam eiusdem Benedictinae Constitutionis praescripta, congruenter novis earum gentium temporibus, explicatiora facere et ampliora. In quo praestando; hoc tamquam principium ex ipsa deprompsimus, sacerdotes nempe latinos eo tantum consilio ab Apostolica Sede in illas regiones mitti, ut sint Patriarchis et Episcopis *in adiutorium et levamem*; cauto propterea *ne utendo facultatibus sibi concessis, eorum iurisdictioni praeiudicium inferant et numerum subditorum imminuant* (1): ex quo perspicuum extat quibus legibus officia eorundem Latinorum ad hierarchiam Orientalem sint temperanda.

(Se continuerà.)

(1) Const *Demandatam* n. 13

DECRETUM

QUOAD DUBIUM SUPER PRIMARIIS ET SECUNDARIIS FESTIS.

Evulgato Generali Decreto super primariis et secundariis festis, et eorundem catalogo, Dubium excitatum fuit in Sacrorum Rituum Congregatione, an praecedentia festis primariis super secundariis tributa, afficiat solum Duplicia primae et secundae classis et Duplicia maiora, an etiam Duplicia minora et Semiduplicia? Itaque in Ordinariis Comitibus, subsignata die ad Vaticanum habitis, subscriptus Cardinalis eidem S. Congregationi Praefectus sequens proposuit Dubium: *An distinctio inter Primaria et Secundaria Festa, vi Decreti Generalis die 2 Iulii 1893, sola respiciat Duplicia primae et secundae classis, ac Duplicia maiora; vel etiam Duplicia minora ac Semiduplicia, tam in occurso, quam in concursu, et in repositione?*

Et Sacra Congregatio, omnibus mature perpensis respondendum censuit.

Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam; ac Decreta quaecumque particularia in contrarium facientia per illud Generale superius memoratum uti revocata, ac nullius roboris habenda esse. Die 14 Augusti 1894.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. Praef.

ALOISIUS TRIPEPI, Secret.

L. ✠ S.

(Del Boletín Eclesiástico d. Sevilla)

DECRETUM

QUOAD FESTUM SANCTISSIMI CORDIS IESU.

In Catalogo festorum, quae iuxta Decretum die 27 Augusti 1893 uti primaria aut secundaria habenda sunt, festum Sacratissimi Cordis Iesu inter secundaria relatam fuit. Quapropter Dubium in Sacrorum Rituum Congregatione excitatum est, utrum per hoc Decretum alteri Generali diei 28 Iunii 1889 derogatum fuerit, et quomodo.

Sacra autem Congregatio in Ordinariis Comitibus ad Vaticanum coadunata, referente subscripto Cardinali eidem Praefecto, omnibus mature perpensis, respondendum censuit: *Affirmative, et Festum Sacratissimi Cordis Iesu, utpote secundarium, omni-*

bus Duplicibus primae classis primariis locum cedere, tam in occurso, quam in concursu atque in repositione. Cum autem ad normam eiusdem festi Sacri Cordis ordinatum quoque fuerit festum translatum S. Ioseph, Duplex primae classis, alia festa Duplicia primae classis, dummodo primaria, tam in occurso, quam in concursu, ac in repositione illi esse praeferenda. Idem quoque servandum circa festum translatum Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Annuntiationis Deiparae Virginis, nisi hoc transferatur simul cum praecepto audiendi Sacrum, iuxta Decretum in Aquen, diei 2 Septembris 1741. Atque ita declaravit ac decrevit die 14 Augusti 1894.

C. CARD. ALOISI MASELLA, S. C. R. *Praef.*

ALOISIUS TRIPEPI, *Secret.*

L. ☒ S.

(Del *Boletín Eclesiástico* de Sevilla).

SOBRE ORATORIOS EN CEMENTERIOS.

El Rvmo. Prelado de Platea propuso, en 20 de Enero de 1893 á la Sagrada Congregación la siguiente duda:

«Joseph Accaroli et familia e municipio Mazzario, e mea Dioecesi, cum erexissent in ejusdem loci coemeterio ad suum sepulcrum oratorium quoddam, me rogaverunt ut permitterem in eo Missam celebrari. Eadem petitio mihi facta est ab aliis; illi vero non credidi prospicere, tum quia mihi visa sunt haec oratoria aliquibus conditionibus oratorii publici carere, tum quia generaliter coemeteria, in quibus eriguntur, ob praesentes leges vel ob negligentiam municipiorum non sunt constructa cum debitis divisionibus et in forma a s. canonibus praescripta, et in eis humantur catholici, acatholici et impenitentes.

»Nihilominus interesse habentes vehementer obsistunt; eoque magis quia alibi, uti affirmant, etiam praeclarissimis in locis, in oratoriis, quae sepulturis gentilitiis sunt adnexa, Missae celebrantur.

»Quapropter existimavi mihi recurrendum esse ad bonitatem E. V. R.^{mae}

»1.º Ut meae menti lumen praebeatur, an possit tamquam publicum haberi oratorium erectum in quodam coemeterio, cum hoc habeatur ut loco publico inserviens: et in casu-affirmativo an sine alia inquisitione exceptis praescriptis in ritu altaris possit permitti celebratio Missae.

»2.º In casu negativo, si pro gratia possit hoc a S. Ponti-

face obtineri, commendo benignitati V. E. R. Oratores, ut contenti fiant in eorum pio desiderio: quaeso etiam ut id concedatur per rescriptum ad vitandas ingentes expensas Brevis Apostolici.

»Episcopis a Concilio Tridentino *Sess. 22 in decr. de celebrat. Miss.* ademptam fuisse facultatem concedendi in privatis oratoriis Missae sacrificium peragendi, ne minimum quidem dubium esse potest, praesertim post declarationem ab hoc S. Ordinem. redditam, et jussu s. m. Pauli V. die 10 Martii 1615 omnibus Episcopis per encyclicas litteras communicatam, qua solemniter firmatum soli Beatissimo Romano Pontifici hujusmodi facultatem esse reservatam. Attamen, oratoria, de quibus est quaestio, sub hoc decreto non comprehendi viderentur. Sane signum principale quo oratorium publicum o privato dignoscitur in eo positum est, quod illud habere debet januam apertam in via omnium usui patenti, et a privatorum hominum dominio exempta, ita ut liber semper sit ad illud accessus. Ita clarissimus Ferrari in sua *Bibl. promp. ad verb. Orator. num 101*; et Monacelli ait; «Oratoria publica, idest quae sunt de licentia »Episcopi erecta in loco publico, a privatis domibus ita separata, ut per eas ad illa iri minime possit ne fenestrae in domibus »sint, per quas in oratorium prospectus habeatur; liberque »accessus e via publica cunctis pateat, capax et decenter ornatum existat, neque aliquid eorum, quae ad sacrum faciendum »necesaria sunt, desideretur ut olim praescripsit S. EE. RR. C. in »*Cincimbrien. 1 Julii 1616*;» *Formul. t. 2. n. 32*, et E. D'Anni-boali publicum censet oratorium, cui janua publicae adiacet viae. *Sum Th. Mor Pars III, num. 5*; Gattius *De Orat. Dom. Cap. XI. num. 2*; De Bonis *De Orat. Psb. num. 236*; etsi sit janua privata affixa domui alicujus saecularis. S. Alphonsus De Ligorio *Theol. Mor. lib. 6, num. 357*; cum Viva, Croix, Diana, etc.

»Quae juris requisita verificari videntur in oratoriis in coemeteriis erectis. Ista enim sunt loca publica; et nemini ingressus interdicitur. Quin objicere valeat in quibusdam horis coemeteria claudi auctoritatis publicae jussu. Nam S. C. C. in *Compsana diei 8 Augusti 1705*, cum Episcopus existimaret non convenire nec licere quod atrium palatii baronis Castri Novi, in quo janua oratorii jam antea a S. H. C. die 31 Maji 1704 publici contra ipsius interdictum declarati, patebat, pro libito claudi posset, discusso dubio: *An aperiendum sit ostium Cappellae in via publica vel potius removendae sint valvae impediennes ingresum in atrium*, responsum prodiit: *Negative*.

»At ex adverso recolendum est quod ut oratorium aliquod publicum dici possit, omnino requiritur ut quo illius aditus liber

et publicus sit, et S. O., ut adamussim haec conditio semper servetur, in more est praescribere, ut aream ante oratoria, in palatio privato extracta, in commodum publicum cedere teneantur possessores, ceu videre est in *Savonen. 28 Julii 1724*; in *Nitrien. 12 Februarii 1725*; in *Nullius diei 13 Januarii 1626*, etc. At in themate contrarium evenire videtur, cum coemeteriorum ingressus minime liber sit et semper prohiberi possit ab Auctoritate municipali.

»Praeterea si capellae istae oratoria publica declararentur, grave exinde spirituale detrimentum fidelibus juribusque parochialibus obveniret, qui audiendo sacrum diebus festis in oratoriis hujuscemodi frequentissimis carerent verbo Dei te catechismo, ignorarent vigiliis et feativitates de praecepto, etc., uti latie ponderant card. Petra. *ad Constit. Apostolicae Paschalis II tom. 1, num. 69*; in *Monacelli in formul., tom. 2. pag. 52, n. 42*.

»Neque asperranda putarem quae Revmus. Praesul in suis litteris habet:—ibi—»Tum quia generaliter coemeteria, in quibus eriguntur (haec oratoria), ob praesentes leges vel ob negligentiam municipiorum, non sunt constructa cum debitis divisionibus et in forma a s. canonibus praescripta, et in eis humanur catholici, acatholici et impenitentes.

»Me non latet ex hujusmodi sepulturis oratoria minime *canonice* polluta manere, quia hoc in *can. 27 De consecr. dist. 1* non legitur, et sumus in materia mere positiva, nihilominus *moraliter* ut ita dicam, polluuntur, et horror in piorum animo excitatur.

»Tandem commemorare oportet in Urbe consuetudinem vigere concedendi á SS. Pontifice facultatem multis limitationibus coarctatam, missas celebrandi in capellis in coemeterio existentibus, minime vero pro publicis oratoriis habentur; sicque omnia incommoda et abusus impediuntur, et religioni ac pietati fidelium consulitur.

»Quae cum ita sint, oratoria in themate viderentur esse privata; attamen judicabunt EE. PP. quatenus et quomodo Rvdo. Episcopo Platiensi respondendum sit».

RESOLUTIO.—*Ad primum Negative in omnibus;—ad secundum consulendum SSmmo. favore Josephi Accaroli ejusque familiae ut ad triennium, constituto de decencia Oratorii ad tramites Sacrorum Canonum, indultum concedat pro sacri celebrationi in anniversario defunctorum familiae tantum, dummodo non cadat in die festo de praecepto, et per Breve.*

(Del Boletín Eclesiástico de Guadix)